



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De circuncisione. F

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*Hic non te-
netur.*

militate & obedientia Deo magis placeat, & apud eum mereatur: cuius imperio salutē querit in inferiorib. se, etsi non ab illis sed per illa à Deo. Propter eruditionem etiam instituta sunt, vt per id, quod foris in specie vitibili cernitur, ad inuisibile virtutē quę intus est, cognoscendam mens erudiat. Homo n. qui ante peccatum sine medio Deum videbat, per peccatum a deo hebit, vt nequaquā diuina queat capere, nisi humanis exercitat⁹. Propter exercitationem similiter instituta sunt: quia cum homo ociosus esse non possit, proponitur ei utilis & salubris exercitatio in sacramentis, qua vanam & noxiam declinet occupationem. Non enim facile capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. Vnde Hiero. monet: Semper aliquid operis facito, vt te occupatum diabolus inueniat.

*Hieron. to. 1.
in medio ep.
ad rusticum
monacham.*

De triplici genere exercitationis.

Sunt autem exercitationum tres species. Vna ad ædificationem animæ pertinet: Alia ad corporis fomentum: Alia ad vtriusque subuersionem. Cum igitur absq; sacramentis (quibus non alligauit potentiam suam Deus) homini gratiam donare posset, prædictis de causis sacramenta instituit. Duo autem sunt in quibus sacramentum consistit, scilicet, verba & res: Verba, vt inuocatio Trinitatis: Res, vt aqua, oleum, & huiusmodi.

*In quibus
consistit scil.*

De differentia sacramentorum veterum & nouorum.

Iam videre restat differentiam sacramentorum veterum & nouorum: vt sacramenta vocemus, quæ antiquitus res sacras signabant, vt sacrificia & oblationes, & huiusmodi, Eorum autem differentiam breuiter Augustin. assignat dicens: quia illa promittebant tantum & significabant, hæc autem dant salutem.

*Ad medium
expositionis
tituli Psal.
73. tom. 8.*

De circumcissione.

Fuit tamen inter illa sacramenta sacramentum quoddam, scil. circumcissionis, idem conferens remedi-

medium contra peccatum, quod nunc baptismus præstat. Vnde Aug. Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ad purgationem volebat magnis & parvulis originalis veterisq; peccati: sicut baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo institutus est. Item Bed. Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere reuelatæ gratiæ tēpore cōsuevit, excepto, quod regni cœlestis ianuam nondum intrare poterant: tamen in sinu Abrahæ post mortem requie beata consolati, supernæ pacis ingressum spe felici expectabant. His aperte traditur, per circumcisionem ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis & actualis parvulis & maioribus à Deo præstitam, sicut nunc per baptismum datur.

De viris qui fuerunt ante circumcisionem, & de foeminis quæ fuerunt ante & post. H

Quæritur autem de viris, qui fuerunt ante circumcisionem, & de foeminis, quæ fuerunt ante & post, quod remedium contra peccatū habuerunt? Quidam dicunt sacrificia & oblationes eis valuisse ad remissionē peccati. Sed melius est dicere, illos qui de Abraham prodierunt, per circumcisionem iustificatos: mulieres vero per fidē & operationē bonam, vel suam si adultæ erant, vel parentum si paruulæ. Eos verò qui fuerunt ante circumcisionē, paruulos in fide parentum, parentes verè per virtutem sacrificiorum, scil. quam intelligebāt spiritualiter in illis sacrificiis, iustificatos. Vnde Greg. Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres vel p paruulis sola fides, vel pro maiorib. virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis.

De institutione & causa circumcisionis. H

Hic dicendum est, in quo instituta fuerit circumcisio, &

Aug. lib. 3. c.
11. de nuptijs
& con.

Beda hom.
11. hiemali
de sanctis,
quæ est in
die circum-
cisionis de
Euangelio,
Luc. 5. Cum
consummati
sunt dies o-
cto.

Greg. lib. 4.
moral. 15. ex-
positionis c.
2. ad illud
Iob. 3. Dies
ille vertatur
in tenebras.